

V C
1687





QR. XVII, 6.

I

BONUS PRIN
CEPS



IN

FRIDERICO III. SAPIENTE,
ex Illustrissima Landgraviorum
Thuringiæ, & Marchionum Misniæ
Stirpe QUARTO SAXONIÆ
DUCE AC ELECTORE,

ORATIONE


Ann. Christ. clō lōc XLIV. A. D.

Non. Majas, annis inde CXIX. EXIMIO
PRINCIPUM emortualem,


*WITEBERGÆ habita
adumbratus*

ab

ESAIA MAJORE VRATIS-
LAVIA SILESIO,



Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad, Typogr.
ANNO clō lōc XLVI.



805

1744

Nobilissimis, Srenuis, Amplissimis, Prudentissimisq;

V I R I S

DN. VITO Kötel à Reichenaw / in Ka-
then & Wonnemitz / Inclutissimæ Reip. Vratisla-
viensis Senatori & Scholarchæ dignissimo,

DN. CHRISTOPHORO Freywald /
Liberi Baronatus Milicensis Cancellario

Laudatissimo:

V I R I S item

Nobilibus, Prestantissimis, Spectatissimisq;

DN. JOHANNI Kittel /

DN. CHRISTOPHORO ALBERTO,

DN. GEORGIO Freyer /

Illis in eadem Repub.

Ordinis Mercatorii Senioribus

Honoratissimis,

Huic ibidem Civi ac Mercatori primario & integerrimo,

Omnibus


& liberalium studiorum Mecænatibus

& meis Patronis, Fautoribusq; singulariter
colendis,

Orationem banc, quanta quanta est,

*animi observantis, grati, obsequentis atq; officiosi studium declaraturus
dedico, consecro, offero,*

Autor.



RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,

JOHANNES ERICUS
OSTERMANNUS, GRÆCARUM LITE-
RARUM PROFESSOR PUBLICUS.

CIVIBUS ACADEMICIS S. D.



Anta FRIDERICI III.
Electoris Saxonis virtusq; & excel-
lencia animi fuit, ut in annalibus &
omni posterorum memoria non a-
lio, quàm SAPIENTIS nomine celebretur. Quod
tam præstabile atqve divinum Pythagoras statuit,
ut soli DEO verè competere existimaret. Et vero
quid difficilius est, quàm rerum causas intelligere?
quàm veri falsiqve tenere scientiam? Quid æqvè
arduum, quàm moderari animo, quàm coercere
cupidines, & usqueqvaq; sui potentem esse? quæ
sicut propria Sapientiæ semper habita sunt, sic,
quod plerisque FRIDERICUS excelleret, dura-
turam seculis omnibus gloriam, & istiusmodi ipsi
pepererunt nomen, quod alios omnes titulos aut
transgrederetur, aut comprehenderet certè. Ne-
que enim nequicquam Stoici solos sapientes for-
tes,

tes, solos magnanimos & generosos; solos justos
bonosque, & si quæ alia honesti vocabula, pro-
nunciarunt. Hic itaque talis & tantus Princeps
cum centum abhinc & undeviginti annis, hodie-
no die, qui III. Nonas, Maji est, decesserit vita, non
id dissimulandum in illa Academia fuit, quam pri-
mus auspicato instituerit ipse & dedicarit. Ejus-
dem enim religionis ac pietatis est recolere maxi-
morum heroum obitus, eorundemq; celebrare
natales. Neque enim cum auspiciantur nascen-
do vitam, sequæ indulgent primum iis, de quibus
optime meritori deinceps sint, profunt tantum;
verum & decedentes cū relinqvunt exempla, quæ
ad easdem artes instruant alios, quibus se ipsi ma-
gnos, cum viverent, & cæteros felices reddiderant.
Quare cū eam ob causam Præstantissimus Ju-
venis **ESAIAS MAJOR** Vratislaviensis, Strenuus
Legum & Juris Cultor, finitis Sacris pomeridia-
nis publicam conscendet cathedram, recitaturus
in Academiae ore, quæ de maximo principe præ-
claro conatu meditatus domi est, vestrum erit,
ACADEMIÆ CIVES, favere adolescentis insti-
tuto liberaliter, & facientem verba benevolè ac-
per silentium audire. Neque enim in ea re lu-
detis operam: & illa Sapiientissimi Principis in A-
cademiam istam non tantum, sed universam
Remp.

Remp. Christianam merita sunt, ut acroasi bus de
ejus vita vel integros dies, nedum horam unam
impendere, nemo gravari, si sapiat, velit. Omnis
narratio mirificè afficit ac recreat sed quæ de illis
instituitur, qui salutarium numinum instar mul-
tum humano generi profuerunt, non jucunda
modò, verum & utilis est, cum ad exemplum per-
tineat. Agite itaque, **ACADEMIÆ CIVES**, &
Oratori nostro benignam navate operam, simul-
quæ religione tacitâ concipite vota & nuncupate,
maturè exoriatur patriæ, si non vocabulo ac no-
mine, re ipsa & factò **FRIDERICUS** aliquis tamen,
qui sapientia suâ virtutequæ afflictas patriæ res &
disturbatas pesimè quamprimum ordinet, redu-
ctaque & stabilitâ undiquæ pace in sedem pristi-
nam ac dignitatem restituat. P. P. Dominica MI-
SERICORD. DOM. anno recuperatæ gratiæ
clò lbc XLIV,

A 3

ORA

ORATIO.



Scholis atq; Academiis, Re-
ctor Magnifice, Patres con-
scripti, Viri admodum Reve-
rendi, Amplissimi, Consultis-
simi, Experientissimi, Excel-
lentissimi, Clarissimi, Tuque nobilissimo-
rum juxta atq; humanissimorum Studio-
rum Corona, Patroni ætatem venerandi,
Fautores nullo non tempore colendi, A-
mici sempiterno & honore & amore pro-
sequendi, à Scholis atque Academiis ve-
rissimis illis divinæ non minus, quam hu-
manæ sapientiæ promissis conditis generi hu-
mano præstari commoda nec pauca, nec
certè minima, homini nato nemini, nisi
fortè, qui de mentis suæ potestate exiit, ne-
gatum iri arbitror. Tot enim esse constat,
ut si omnia ac singula enarrare institue-
rem, non unius horæ aqua mihi postulan-
da esset, tantaq; ut, si pro merito illorū de-
scribere tentarem, mare ego exhausturus
viderer. Ut ita jam nunc eadem silentio
invol-

involvere necesse habeam. Verum enim
verò, hæc cum ita sint, quisq; sine dubio
hoc juxta mecum statuet, nec ullam scho-
las atq; Academias mereri laudem & enco-
mia, & non extollendos esse Imperatores,
Reges, Electores, alios Principes, qui quo-
niam animadverterunt, quantum intersit
Reipublicæ, universiq; orbis terrarum,
quampulurimos vivere abundantia doctrina
homines, ideò suis in provinciis ejusmodi
Musarum templa erexerunt. Quibus cum
& Fridericus III. Sapiens, Elector Saxo-
niæ, Fundator celeberrimæ hujus Acade-
miæ V Vittebergensis veniat annumeran-
dus, nec solum propter prælaudabile hoc
institutum verum & propter alia, quæ
cedro insculpantur digna facinora atq;ve
virtutes meruerit, de cujus laudibus nulla
unquam ætas conticescat; cumq; hoc ipso
tertio die Nonas Maji centum undevi-
ginti Anni sunt, postquam incomparabilis
Principum morte sua in multorum animis
maximam procreavit mœstitudinem atq;
(tri-

tristitiam, hac propter & peropportune,
nec immerito, ut spero, fecero, si vitam atque
virtutes ejusdem oratione & illa quidem,
per quam brevissima descriptas reddere in
praesentia fuero conatus. Quod ipsum ante-
quam aggredior, ad vestram, Auditores Hu-
manissimi, Humanitatem accedens venio, ro-
gatum, velitis vos adversus me ita benivo-
los praestare, ut me per semihorulae admo-
dum spacium auscultetis, veniamque detis, si
forte an voto & expectationi vestrae haec
mea oratiuncula non satisfecerit. Tu vero
Jova Juva! Friderici itaque III. Sapientis ex
Illustrissima Landgraviorum Thuringiae,
& Marchionum Misniae stirpe quarti Saxo-
niae Ducis ac Electoris vitam moresque ex-
plicaturus, primo omnium vobis, Audito-
res Spectatissimi, sisto ejusdem ortum ac
primordia, qui natus Anno Christianae, Sa-
lutis millesimo quadringentesimo sexage-
simo tertio. diem ejusdem natalem non u-
num omnes constituunt; plurimi tamen
ipsum septimo decimo Januarii paulo an-
te.

te primam horam pomeridianam ingres-
sum fuisse hujus vitæ scenam referunt Qui
decimus & septimus Januarii quali præsa-
gire videbatur nati hujus Principis magni-
tudinem. Siquidem hoc ipso die Anno
ante natum Christum vigesimo quarto, à
Senatu Populoq; Romano, Octavio Cæsa-
ri nomen Imperatori Augusto inditum fu-
isse apud Censorinum legimus. De loco
natali; Fridericum in luminis auras prode-
untem primulum excepit Torga, urbs
propter varias suas laudes decantatissima.
Hoc ipsum nili si adeò planum esset, ut qui-
libet juxta cum gnarissimis sciret, certus
mihi persuasor essem, vel jam diu factum.,
vel adhuc futurum esse, ut quemadmodum
olim

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chius,
Argus, Athenæ,

invicem de non Poetarum, sed sapientum Regis
Homeri; ita de Friderici nostri Patria

Lipsia, Naumburgum, VViteberga, Erphordia,
Dresda,

Cryptaq; Freibergi, VVeimariæq; forum,
aut contenderint, aut contendant, singulæ

B

illa-

illarum cupientes magis illustriores reddi
tanti Principis productione. Nec enim
parvam laudem conciliat urbi ortus præ-
clari cujusdam Principis, aliusq; magni
& Sapientis viri. Gratuletur itaq; quasi
sibi ipsa Torgæ urbs, & ob alia, quibus de-
corata est, ornamenta, & quod illi soli licu-
erit esse tam beatæ, quæ Friderico cunas
præberet, tantoq; urbibus aliis hinc cele-
brior redderetur, quanto hic Princeps aliis
major. Et cedat huic urbi obscuritas Itha-
cæ, quam quidem suam Patriam radiis vir-
tutis non mediocriter illustravit Ulysses
Homericus, cedant Thebæ, quas Hercu-
les earundem alumnus fecit nobiles, cedat
Delos, quæ penè inter omnes Cyclades ob
Apollinis oraculum & natale solum Insula
est clarissima, cedat Creta, quæ ipsius parvi
Jovis cunabula sibi adscribit; una hæc
Torga, Friderici ortu multo istis est il-
lustrior. Familiam porrò atque Majores,
unde Originem Noster duxit, consideran-
tes animadvertimus, ipsissima veritate ve-
rius esse, quod elegantissimus & lepidissi-
mus

mus vates (ut Horatium Thales quidam
Saxonix nominat) cecinit:

*Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in Juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam.*

Natus siquidem est ex Familia Saxonica,
quæ tulit Principes, qui quam laudabiliter
virtuosèq; vixerint, dici vix potest. E mul-
tis per paucos duntaxat, eosq; proximè Fri-
dericum nostrum antecedentes attingam.
Quis satis per laudes ibit Friderici I. Belli-
coli? cujus fortitudo in bellis Bohemicis,
favor erga literarum studia, tum aliis rebus,
tùm vel maximè fundatione nobis vicinæ
Academix Lipsienfis declaratus, Pietas at-
que Prudentia ex Oratione paullo ante
discessum suum ad Fridericum & wilhel-
mum filios habita, quæ Oratio non solum
illis ipsis Juventutis Principibus, ad quos
erat dicta, maximopere utilis esse poterat,
sed nunc etiam omnibus, qui ad clavum
Imperii sedent, Cynosura atque Helice o-
mnium actionum esse potest, virtus deniq;
ex illo, tanquam primæ magnitudinis stel-
la pleniori jubare eluxit, ut ab augustissi-

B 2 mo

l. 4. Od. 4.
v. 29. Clariss.
BUCHNE-
RUS Com-
ment. ad
Hymn. Pru-
denti de
Nat. Dom.
v. 34 p. 62.

mo Imperatore Sigilmundo dignus fuerit
æstimatus, qui in cellissima illa, quam ite-
rum subjectissimæ observantiæ causâ
nomino, Thuringensium Landgraviorum,
& Misnensium Marchionum profapia, pri-
mus Saxonix Elector designeretur. Quis
laudibus æquabit factum illud, ut alia nunc
oratio mea temporis gratiâ redimendi ta-
cita prætereat, Friderici II, Principis verè
placidi? Hic cum de Ducatu, tanquam de
summâ rei cum Fratre V Vilhelmo dimica-
ret, & sclopetarius quidam sese illi offeret,
addito, si placeret, se effecturum, ut V Vil-
helmus Dux Sagittâ jaculatus occumberet,
graviter respondit: Feri quemcunq; vo-
lueris, modo Fratri meo parcas. Quod
responsum simul ac V Vilhelmus perce-
perat, ita illum permovit, ut omnem sta-
tim stomachum deponens, ansam quæsi-
verit, quâ posset cum Fratre in gratiam re-
dire. Hoc etiam factò ex illo tempore Fra-
tres hix invicem plus plusq; indies æta-
temq; dilexerunt. Quis satis extollet lau-
de

de Friderici nostri Parentem Ernestum? a quo & Johanne Marchione Brandeburgico tres potentissimos Reges Matthiam Ungarum, Casimirum Polonum, Vladislaum Bohemum, propter Vratislaviam castrametatos, non armis, sed sapientiâ & comitate commotos, atq; in concordiam redactos accepimus, qui auctoritate sua, quæ in tanto Principe cum mansuetudine pari passu ambulabat, tantum abfuit, ut à subditis non amorem atq; honorem provocaverit, ut etiam illum peregrini venerati fuerint, & dilexerint, qui (quæ virtus cæteras omnes eximiâ suâ præstatiâ multis præcurrit parasangis) fuit pietatis, pro illius seculari ratione, indefessus cultor, eximièq; religiosus. Has Majorum virtutes Fridericus noster strenuè æmulabatur, cunctisq; viribus id enitebatur, uti quâ in parte ab hac laudatissimâ Antecessorum suorum semitâ ne deflecteret, sed potius, ut, nisi iisdem virtute & sapientia palmam præriperet, ambigam tamen faceret, semper illud in

Phil. Melan. Epist. ad Joachimum II. Elect. Brandenburg. & cæteros Marchiones Brandenburg. Witeberge 12. Augusti 1557.

B 3

pecto-

pectore secum volutans: Quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto. Verissimè. Quod enim ante nos fuit, nostrum non est; & sicut frumentum, non optimum illud censetur, quod in pulcerrimo enatum est agro, sed quod bene nobis est alendis ac nutriendis; ita nec Princeps bonus, qui ex illustri familiâ oriundus; sed qui Virtute præditus. Fridericus itaq; ita vixit, ut nulla virtus, quæ quidem Principis Majestatem deceat, nominari, nulla excogitari possit, in quâ non studuerit quàm maximè. Etenim quæ, ut modò dicebam, inter omnes virtutes facilè familiam ducit, Fridericus Princeps erat religiosus, & eximiè DEI reverens. Necessarium quippè sibi, non modo æquissimum esse duxit, & rectè nosse, & cognitum piè purèq; venerari Numen illud, à quo omne bonum, & sine cujus auxilio conatus & studia nostra prorsus invalida sunt atq; infirma. Quid enim quæso firmum in rebus humanis, quæ nihil aliud sunt, quam jactationes & fluctus, nisi ad
ancho-

anchoram illas alliges veræ Pietatis? Hac-
propter pietas ejusdem facere nihil præ-
termisit, quod videbatur esse propagandæ
veræ Evangelii doctrinæ, honoriq; divino.
Id ipsum quam luculenter demonstravit
olim, cum Hercules ille Christianus Marti-
nus Lutherus, in Babylonicum imperium
magnâ vi irruit, & Papam solâ oris buccinâ
non leviter conterruit! Quoniam siquidē
prudentissimus Princeps perspexit perbe-
nè, illud negotii non nisi divinitus governa-
ri, adeo nec blanditiis nec etiã minis ponti-
ficiorum se moveri passus est, ut Luthero
igni & aquâ interdiceret, sicq; salutari do-
ctrinæ cœlestis reformationi impedimen-
tum inferret, ut potius hospitium ac pa-
trocinium organo illi divino præbuerit, &
per eundem virum mores ac abusus hor-
rendos, qui in Ecclesiam clam irrepserant,
tollere conatus fuerit. Codicem illum, in
quo sancta DEI mandata, salutaria promif-
sa, certa oracula, cæteraq; his annexa salu-
tis nostræ adminicula concluduntur, sæ-
pius.

piusculè lectum esse illi, vel ex solo hoc paterere potest, quod axioma Symbolicum, quo prioribus annis sua uti illum voluit modestia, virtus clara, sed tamen rara, Tantum, nempe, Quantum possum, mutaverit, inq; illius locum dictum illud Coryphæi Prophetarum Symboli loco elegerit: *Verbum Domini Manet In Æternum*. Magnam in super signum opusq; fuit singularis cultus Principis nostri adversus DEUM cum Palæstinam, ad sepulchrum Servatoris, vel rectius, marmor cujusdam monumenti visere petiit. Quantumvis enim, minimè nesciatur, factum hoc cè Friderici, siquidem ipse tali itinere divinam gratiam, suæq; salutem animæ comparare sibi promereriq; se posse, arbitratus est, orthodoxæ doctrinæ non satis probè convenire, cum ejusmodi peregrinationes religiosas, quibus meritum aliquod, aut satisfactio pro peccatis, aut jus sempiternæ vitæ captatur, planè supersticiosas esse & in ipsum Christi meritum injurias, jam diu sit, quod ex
pan-

pan-
n.,
luit
an-
ve-
ry-
rit:
Ma-
ula-
M
to-
nu-
m,
ici,
m,
ro-
do-
,
as,
oro
ur,
iti
ex
an-

pandectis sacris probatum reddiderunt
nostri Theologorum; fervor tamen reli-
gionis satis superq; indicavit, in eo pieta-
tem altissimè radices egisse. Verendum.
hinc est non parum, ne hic quoq; aliquate-
nus locum habere possit Judicium Salviani *L. 5. De*
Marsiliensis, quod de errantibus in alia re *Gub. DEI.*
tulit: errant, inqvientis, ergo, sed bono a-
nimo errant, non odio sed affectu DEI, ho-
norare se Dominum atq; amare credentes.
Quamvis non habeant rectam fidem., illi
tamen hoc perfectam DEI æstimant chari-
tatem. Qualiter pro hoc ipso falsæ opinio-
nis errore in die iudicii puniendi sint, nul-
lus potest scire nisi iudex. Interim iccirco
eis, ut reor, patientiam DEUS commodat,
quia videt, eos etiã non rectè credere, affe-
ctu tamen piæ opinionis errare; maximè
cum sciat, eos ea facere, quæ nesciunt. Hæc
Vir sanctissimus, Cæterum. Ut de pere-
grinatorum illorum superioris seculi salu-
te nihil nisi optima maxima speremus, fru-
stra tamen se fore Pontificii credant, si hoc

C

no-



nomine ad illum superstitiosum morem,
nos revocatos voluerint. Aliud enim est,
nescium errare, aliud non ignorantem. Ibi
commiserationi, hic justitiæ pœnisque est
locus. Atq; hæc de Friderici pietate; sequi-
tur alia virtus, quæ æquissimo jure secun-
dum hunc locum occupet, Pacis studium.
Quanto enim opere Pacem coluerit, præ-
ter, qui semper infans est, hoc est, omni hi-
storiarum cognitionis expertus, latere potest
neminem. Quis enim hoc ipso consilio-
rum Maximiliani Imperatoris de Pace pu-
blica, & de Judicio Cameræ constituendo
socius fidelior? quis adjutor fuit strenuior?
Qui potuisset etiam melius ostendere Fri-
dericus, se verè Fridericum, adeoq; nomen
suum in omen abiisse, quam demonstravit
in bello illo Bavarico, quod anno millesi-
mo quingentesimo quarto inter eundem
Imperatorem Maximilianum & Philip-
pum Electorem Palatinum, qui filium su-
um Rupertum defendere conabatur, ge-
stum? ubi cū Philippus à Maximiliano pro-
scri-

scriptus cunctis Imperii ordinibus oppu-
gnaretur, Princeps noster, salutis Romani
Imperii cupidissimus, sese interposuit, tan-
tumq; ad Cæsarem effecit, ut Palatinus de-
precatus culpam eundem sibi reconcilia-
ret. Cum cives Erphordix Magistratui
suo adversantes compescuit Fridericus,
quid aliud quæsit, quam Pacem & tran-
quillitatem? Quantumvis etiam sæpiuscu-
lè animadvertimus, non Apollinis respon-
sum magis esse verum, atq; quod illi, trito
proverbio dici solet: Fratrum quoq; gratia
rara; Fridericus cum fratribus suis ita vixit,
ut nemo possit magis fraternè. tanta inter
eosdem concordia fuit atq; amor, ut non
ullis intervenientibus simultatibus, una
cum annis auxerit. Summatim. Sicut gu-
bernatori cursus secundus, medico sanitas,
ita ipsi Pax ac tranquillitas fuit proposita.
hanc quam plurima opimiora spolia, innu-
merosq; triumphos diligebat atq; expete-
bat. Noverat scilicet optimus Principum,
Pacem optimam rerum, quas homini no-
visse-

viffe datum, bene sciebat, Pace regnante
omnia bona florere, non impediri cultum
divinum, in bonarum artium officinis re-
ctè educari Juventam, id quod fundamen-
tum unicum bene constitutæ Reipublicæ,
vigere jus, præmia virtutibus, supplicia
peccatis constitui, subditorum omnium
juxta ac singulorum vitam reddi beatam
ac jucundam, qui ab opibus valent, tutò
hos easdem possidere, quibus res medio-
cris, hos eam rectis rationibus amplifica-
re, quibus nec servus, nec arca, nec cimex,
nec araneus, ut Catullus jocatur, hos fieri
posse divitissimos at quid cum sævit toto
mars impius orbe? religionem pessundari,
templa scholasq; dirui ac incendi, pulcher-
rimas urbiū excidio atq; ruinis dari, homi-
cidia adulteriis stuprisq; impunè misceri,
occasionem omnem agros colendi & utili-
tates rusticas procurandi præscindi, mer-
caturam propter viarum intuta quiescere,
emporia claudi, regnorum deniq; status
fortunasq; perturbari & corrumpi. Sint
forte-

fortean, qui hinc insurgant, Fridericum,
propterea quod tanto ardore Pacem quæ-
liverit, omni fortitudinis laude privandum
putantes, nec pulsum saltem fragoremque
remotum perpeti illum potuisse, ad lin-
gulosq; ictus turpi formidine horruisse.
Sed ò isti! Indubitanter liquido ex annali-
bus demonstrari potest, Principem no-
strum, quando bona Pacis non nisi armis &
conflictibus vel contingere vel retineri
potuere; (Hoc enim unum, ut Pace perfrui
liceat, spectare convenit, qui bello manus
committunt) nonnunquam non solum
Ducis, sed quasi militis officio fuisse fun-
ctum, sicut in bellis quibusdam Maximilia-
no Imperatori insignem opem tulit. de quo
tum ne longitudine sim fastidio, tum etiam
ut temporis aliquid cæteras à Friderico
præclarè res gestas enumerare superet, ea
de causa prolixiozem narrationem in au-
res Vestras, Auditores omnium ordinum
honoratissimi, exonerare nolo. Quod si
tamen illi soli merentur nomen fortium,

L. 1. de
Clem. 6. 3.
& 5.

quorum oculis nihil magis arridet, quam
enses hominum innocentissimorum san-
gvine imbuti, acervi contrucidatorum.
corporum, vastationes & cadavera floren-
tissimarum urbium, non tantum lubens
Principis nostri virtutibus insidiantium
sententiam admitto, sed & ipse liberè
proclamo: Fridericus fuit omnium, qui
sunt, fuerunt, futuri sunt, Princeps timidis-
simus, sed alia omnia sunt vera. Tam Pa-
cis autem quam belli tempore ad Clemen-
tiam, Humanitatem, Mansuetudinem fuit
propensissimus, virtutes illas, quas exerce-
re nulli hominum magis, quam Principi
convenit, quia plus habet apud illos, quod
servet, ac majori in materia apparet, ut lo-
quitur laudatissimus inter omnes veteres
scriptor, & virtutis studio pene Christia-
nus Seneca. Et debet omnis Magistratus
non interfector, sed exemplo Agamemno-
nis illius Homerici pastor esse populi, vide-
licet, sicut pastor cogitationes omnes atq;
consilia eò dirigit, non quo deglubantur si-
bi

bi concrediti greges, sed quo optimè pos-
sint pasci, tutiq; sint à feritate luporum cæ-
terarumq; bestiarum; ita ille non facilè ve-
xet, nec temerè morti mittat subditos, sed
illorum tranquillitatis retinendæ & utili-
tatis promovendæ causa semper laboret.
Salus enim populi suprema lex esto. Ad
hanc subditorum salutem vitamq; conser-
vandam Fridericus, ut innui, fuit noctes
atq; dies intentus. Cum aliquando factum,
ut Erphordiam Thuringiæ obsidione cin-
geret, ibiq; Thrasones quidam illum per-
suadere tentarent, ut oppidum vi aggrede-
retur, occupare posse parvo, nec nili qua-
tuor aut summum quinque militum di-
spendio; hoc consilii susq; deq; habens piè
placidèque respondit: *Es were an einen zuviel.*
O vocem pro Majestate regnantis dignissi-
mam, quæque omnium Magistratum au-
ribus instilletur, & memoriæ mandetur, &
curæ cordique habeatur, & re ipsa ac factis
exprimatur! In crucem verò cum furore
suo Caligula, quem populo Romano uni-
cam

*M. Wolff.
Heiderus
vol. 1. O-
ration. 4.*

cam cervicem exoptasse legimus, ut uno
ictu omnibus vitam posset eripere, & Nero,
cui adeo homines affigere volupe fuit, ut
nec magnæ, augustæ, superadmirandæ
Romæ pepercerit, sed tale ibidem incen-
dium excitaverit, quo oppidum per no-
vem dies continuos arsit, ipso interea flam-
mæ pulchritudine læto excidium Ilii de-
cantante, & Phalaris, qui in taurum æne-
um homines inclusos subiecto igne torrens
ex eorum clamore ceu mugitu quodam
mentem satiavit, & Attila Hunnus, qui su-
am ob immanem ingenii atq; naturæ fe-
rociam se flagellum DEI hominumq; ter-
rorem esse jactavit, ad id à DEO in mun-
dum missum, ut tanquam justæ illius vin-
dex iræ terras omni malorum genere per-
misceret. Ad audiendum quoq; horren-
da est sævitia atq; immanitas Mezentii Re-
gis Etruscorum, à quo vivorum corpora,
cadaveribus adversa adversis ita alligata
fuisse, ut singulæ membrorum partes sin-
gulis essent accommodatæ, sicq; plurimos
lon-

longa morte enectos scribit latinorum
Poetarum Princeps. In crucem, inquam,
illi homines, nisi rectius feras bestias, ipsius
crudelitatis stabula, pestesque quas un-
quam iratus DEUS mortalibus immisit,
longè deterrimas dixeris. Hos ut sequen-
dum statueret Princeps noster, tam procul
abfuit, ut potius Alexandri M. benignum,
adversus subditos animum, tum hoc ipso,
si sese obtulisset occasio, tum alio in genere
imitari semper fuerit promptissimus; quem
cum aliquando tempestate nivali oppres-
sus senio jam confectum militem, nimioq;
frigore obstupefactum ipse sublimi ac pro-
pinquâ igni sede sedens animadvertisset,
descendisse, propriisq; manibus frigore
complicatum militis corpus in suam se-
dem imposuisse refert Valerius Maximus,
minor s quidem & miscellanæ historiæ,
sed nō fidei ac veritatis minoris Auctor. Hic
nulla truculenta facies, nulla vox terribilis,
nulla ora minis ac cruentis referta Imperi-
is, quemadmodum in Turcarum Sultano

L. 8.

Æneid. v.

483. seq.

l. 5. c. 1.

ext. 1.

Ex Leun.

D

Ba-

*clavio, Th.
Lansius,
Oratione
pro Hi-
spaniâ.*

Bajasite I. fuisse fertur, qui ita rigidus describitur. atq; præcipitis simul iracundiæ implacabilisq; ut etiam Consilarii ejusdem., ne dum cæteri subditi summâ percussi formidine ne mutire quidem auderent; verum ex vultu Friderici nihil nisi mera humanitas gravitate tamen aliquâ temperata, & cum humanitate permixta gravitas eminebat. Quid? quod nec potentissimus iræ affectus illum ita instigare potuit, ut limites Clementiæ transiliret. Quandoquocunq; enim ex inopinato irâ corripiebatur, laudabilem ejusmodi, & quam utinam multi æmularentur consuetudinem constantissimè tenuit, ut non statim diceret aliquid vel faceret, sed in cubiculum seorsim secederet, nec prius, quam omnem concoxisset bilem, reverteretur. Clementiâ hac summâ atq; Humanitate omnes suos sibi reddidit quam benivolentissimos. Certè si suavissimam harmoniam, quæ inter Principem nostrum ejusq; Subditos talis fuit, ut nec ipsi de illius inhumanitate, & contra

com-

communem salutem præsumtis molitionibus, nec ille de istorum contumaciâ atque inobœdientiâ habuerint, quod multùm sæpevè conquererentur, describere instituerem, incredibilis illa Demosthenis dicendi vis ac facultas perquam mihi optanda esset. Voluit nimirum Princeps Humanissimus amari, quàm timeri, vocem illam Tyrannorum turpissimam judicans: Oderint, dum metuant. Præclarè. Non enim est Majestas timeri, sed immanitas. & nutrimentum contra vim tutius esse nequit, quam munimento non egeret. quidem

Non sic excubia, nec circumstantia tela, Claud. ad
Quam tutatur amor. hon. Consul. 4. v.
281.

Quantumvis autem Humanitatis atque Clementiæ virtus à Justitiâ paulum videtur secedere, attamen saltem secedit, non discedit, diversa potius, quam adversa. id quod Fridericus suo ipsius exemplo comprobatum ivit evidentissimè, qui cum Clementiâ Justitiam, & cum Justitiâ Clementiam conjungens, in utrâque pariter

eminuit. Facere quippe solebat, quod prudentiæ Pater Tacitus Principi faciendum præscripsit; ut omnia sciret, non omnia exsequeretur, parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodaret, nec pænâ semper, sed sæpius pænitiâ contentus esset. Hanc Friderici justam Clementiam & clementem Justitiam jure merito experti sunt olim equites quidam, quibus in itinere quodam in vicinos agros excurrere, & segetes proterere conspectis, domum deinceps reversus cœnam omni panis carentem præberi iussit; eis enim, qui segetes proculcarent, usum panis non injuriâ esse denegandum. Et quia non ille justus, qui tantum in subditis suis, sed etiam qui in se ipse jus & æquum servat, Principi nostro quamvis multum licuisset, sæpius tamen, minimum libuit. Sanè virtuti huic adscribendum, quod quando feras bestias in venatione, cujus in studio, utpote Viris Principibus digno non parum deditus erat, persequeretur ita se adversus Subditos gessit,

lit,

fit, ut illorum agellis parceret, aut si quid forte damni datum, liberalissimè resarciret. O Principem æquissimum, atque ideò Principis illius Principum, oraculo proclamandum divinissimum! Modestiam porro, quæ virtutem Clementiæ, & Continentiam atque integritatem, quæ Justitiæ plerumque ferè tanquam umbra corpus, ignemque fumus comitantur, ita sibi habuisse commendatas, ut in dubium vocari possit, an aliquis unquam fuerit modestior atque integrior, & laudabiles aliæ actionum, testantur, & imprimis, quod cum Anno post Christum Natum ultra millesimum quingentesimum decimo nono, mortuo Maximiliano I. Electores Imperii dignitatem ad eundem detulissent, illam ipsam modestissimè recusaverit, nec non ad designandum Carolum V. Principibus Collegis svafor fuerit, opus enim esse Reipublicæ aliquo præpotente, sed qui cum Carolo sit conferendus, neminem se talem novisse; cumque Carolus V. se suffragio

Augusti, apud Senec. in Ludv. Pietate & Justitiâ Principes Dii sunt: uti quidem citat Lipsius Polit. 2. 10. extrem.

D 3

fragio



Sleidang
Lib. 1.
Com-
ment.

fragio ipsius (Friderici nostri) Imperato-
rem Romanum constitutum fama atque
auditione accepisset, eaq; propter ad i-
psum magnam pecuniarum copiam milif-
set, hosce non tantum ipse repudiaverit,
sed ministris quoque suis, ne vel unicum
sumerent teruncium, sub comminatione
gravissima edixerit. Hujusmodi Mode-
stia atque Integritatis exempla quam pau-
ca invenimus annales omnium temporum
repetentes! at quam plurima eorum, qui-
bus oculos clausit ipsamet caeca & domi-
natrix multorum ambitio, qui ut impera-
rent, nullum non moverunt lapidem, non
facturi, si rectè attendissent, quantis impe-
rare illud sollicitudinibus ac miseriis sca-
teat! Hinc quantumvis re viles atq; humi-
les, efferre se tamen maximè sunt conati,
immò in tantam prolapsi insolentiam sæ-
pius, ut non honores modò nimios rece-
perint, sed ampliora etiam humano fastigio
decerni sibi voluerint. quanta eorum na-
tio, qui fulgorem auri oculis irretortis ad-
spice-

spicere nequiverunt, ut non concupisce-
rent nimium, & ab eo corrumparentur!
metalli quippe hujus, licet nihil aliud sit, ni-
si splendens quædam terra, & nitidius paul-
lò lutum, vis tanta est atq; potentia, ut ei-
dem in proclivi sit hominum mentes aver-
tere & detorquere à recto ad pravum, à vir-
tute ad vitium, ab innocentia ad flagitium,
à pudicitia ad libidinem, à justitia ad inju-
stiam, à veritate ad mendacium, à sum-
missione ad superbiam, à charitate Patriæ
ad proditionem, ab omni probitate ad
omne facinus. Quæ omnia certissimis cor-
roborarem Exemplis, nisi unde paullulum
digressa est, orationi meæ ad Fridericum,
esset redeundum. Age age itaq; nunc et-
iam mecum perpendite quæso, Auditores
Honoratissimi, eundem nostrum Princi-
pem literarum studiis fautorem optimum,
maximum, & hac propter in cœlum usq; ex-
tollite. Hic Anno post Christum natum
supra millesimum quingentesimum secun-
do ante decimum quintum Calendas No-
vem-

Lipsius
Cent. 1.
Ep. 4.

*Academia
Heidelbergē,
js condita à
Ruberto Ruf-
fo Eli. Elore
Palatino
1346. confir-
mata 1387.
18. Octobr.
Gryphiswal-
diana condi-
ta ab Vratis-
lao IX. Duce
Pomerania
1456. intro-
ducta 1457.
18. Octobr.
Vide Danie-
lem Ottonē
diss. de jure
Pupl. extr. p.
694. & 695.*

vembres (qui dies propter hanc ipsam ferè
causam Heidelbergensi quoq; & Gryphis-
waldianæ Academiæ sacer est) Academi-
am hanc introduxit wittebergensem, ve-
rissimum illum montem, ex quo fontes &
rivuli limpidissimi cælestis doctrinæ, o-
mnisq; humanæ sapientiæ largè affatimq;
in totū terrarū derivātur orbē. Hæc namq;
est illa Academia, quo primū opera so-
lius, si à DEO discesserimus, Martini LU-
THERI Evangelio suam restituit lucem.,
qvā luce deinceps exiguo tempore non pa-
gi, non urbes, non oppida, sed provinciæ,
regna, imperia, illuminata à sede Romanā
defecerunt, & diabolicum superstitionis
jugum rejecerunt. Hæc est illa Academia,
in quā optimæ artes ac disciplinæ foedā
barbarie, ceu densā quādam caligine, quā
ante omnia obruta jacebant, dissipata, ite-
rum reflorescere videbantur. Hæc est illa
Academia, ex quā tanquam ex Eqvo Tro-
jano innumeri Augustini & Chrysofomi,
Bartoli

Bartoli & Baldi, Hippocrates & Galeni,
Aristoteles & Platonis prodierunt, prod-
eunt, prodibunt. Hæc est illa Academia,
quæ tantis est ornata bonis, ut jam, quod
Fridericus Taubmannus magnus magni
Filii Parens de illâ ipsâ verissimè protulit,
Victricem possit multis obvertere palmam.
Quid cessas ergo, ô alma wittebergæ, gra-
to prosequi animo laudibusq; amplissimis
illius Principis memoriam, qui factò hoc
effecit, ut, quæ parum ornata aut exstructa
antea eras, nuac excellissimè floreas? immò
quid, ô Munde gratis & debitis encomiis
celebrare differs hoc ipsum Friderici præ-
clarum institutum, unde egregiissima in-
te pro manare commoda sensisti, sentis, sen-
ties. Magnus præterea in litteras & lite-
ratos favor, studiumque Principis nostri ex
illo cerni optimè potuit, quod nunquam
divitiarum indigis Studiosis defuerit, sed
multo magis ita adiutaverit, ut nec post su-
am mortem eosdem à studiis hisce huma-

E

nio-

Sched. p.

144.

inioribus avocari voluerit per paupertatem
assiduum bonæ Mentis comitem. Hinc
olim cogitaturus Hierosolyman, quod iter
antea attingimus, stipendia egenis Studiosis
eroganda instituit, si forsitan in itinere hoc
difficultatis & periculi pleno aliquid sibi
humanitus contigisset. Ipse quoque mul-
tum operæ posuit in pervolutandis sapien-
tium scriptis, ex quibus illis selectiora collegit
monita atque sententias, quas deinceps in
gravissimis Deliberationibus usurpavit, se-
quentes, ut refert fides Historica, in primis:
Moderata durant. Rubedo vespertina, &
consilia matutina sunt durabilia. Consilii
expers vis mole ruit suâ. Quo plura pos-
sis, plura patienter feras. Nullorum au-
tem librorum magis, quam Historicorum
lectione tenebatur. Prudentissimum e-
nim Principem clam minimè fuit, utilissi-
mas ad publicas deliberationes esse rerum
gestarum historias, talesque libros usum ha-
bere, quem optimi Consilarii. Unde hæc
fre-

tem
hinc
iter
iolis
hoc
libi
nul-
ien-
egit
in.
t, se-
mis:
&
nfilii
pos-
n au-
rum
m e-
ilissi-
rum
n ha-
hæc
fre-

freqvens horuncè librorum lectio non mi-
nus, quam usus efficacissimus rerum omni-
um magister illi ejusmodi confecit Sapien-
tiam atq;ve Prudentiam, ut jure potuerit
cum illo apud Poetam gloriari: novi & scio
singula rectè, quæ bona, quæ mala sint.
DELLS autem bone, quam prudenter non
solum, quæ tibi, sed & quæ aliis & Reipubli-
cæ conducebant, quemadmodum pacatis,
ita, temporibus dispexit turbulentis, hoc
est, iis, quæ vel maximè sunt bono ac pru-
denti Principi probando atq; Duci. Omni-
nò, sicut cœlo sereno quietoq; mari quivis
penè potest Gubernatorem agere, at quan-
do hoc & illud æstu atq; tempestate turbi-
da in perniciem navigantium conjurasse
quasi videntur, tunc utiq; non quilibet
sufficit, sed navis virum quærit; sic in pro-
cellis nimbisq;, quibus religio pariter atq;
universæ Civitatis Salus jactantur, non est
opus infruniti rectè regere, beneq; Reipu-
blicæ consulere, sed admodum prudentis

E 2

Prin-

Principis. Et profectô, si nec ullibi, nec unquam, præter in comitiis illis conventibusq; imperialibus, quibus ipse triginta interfuit, suam sat declarasset, eximiam prudentiam atq; sapientiam Fridericus, vel hi soli conventus Principem meritum proclamarent cognomento donari Sapientis. Ut ita nihil in illo ipso defuerit, quod ad perfectionem Boni requiritur Principis. Virtus enim atq; Prudentia duo illa sunt, quæ perfectum omnibusq; numeris absolutum reddunt Principem. Harum autem Virtutum amator sicut non haberi tantum studuit, quod solum à Principe efflagitat tam ad Principis, quam ad Subditorum perniciem præceptum Nicolai Machiavelli, à quo impietatis neqvioris Magistro, quam civilis prudentiæ doctore simulata nescio quæ Virtus Principi induitur, & scenæ serviens, sed veris potius virtutibus operam dare voluit: ita cave credas, illum vestigia trivisse Neronis, qui primis Imperii

rii

rii sui annis ita regnavit, ut neque liberali-
tatis, neque Clementiæ, neq; Comitatus
neqve aliarum Virtutum exhibendarum,
ullam occasionem omiserit, reliquo verò
vitæ tempore ita à laudabili hâc viâ decli-
navit, ut turpissimis vitiis, præcipuè au-
tèm crudelitate, immani & efferatæ bel-
luxæ, quam homini fuerit similior. Non
citius enim Fridericus piè, fortiter, huma-
niter, beneficè, clementer, justè, modera-
tè, continenter, sapienter, & unico verbo
Principaliter agere desiit, quam frui vitâ.
Exstinctus est nephritide cælebs, & ex hâc
confusione rerum, temporumq; asperitate
in beatam quietem migravit hoc ipso quin-
to die Maji Anno Christi millesimo, quin-
gentesimo vigesimo quinto, administratio-
nis suæ Electoralis duodequadragesimo,
ætatis sexagesimo secundo, sæcula qui to-
tidem vivere dignus erat. Ita est. mors in
omnibus ac singulis creaturis habet pote-
statem. hæc spernit altam gratiam, & pari-

E 3 ter

ter humile ac celsum caput involvit. Quod
mori claudiq; potuit, hic wittebergæ in
Arcis templo jacet. Virtus verò, quæ cum
Homine non interit, ac fama rerum super-
stes est eritque in animis hominum, donec
homines. Nec itaq; nos peccaturos con-
fido, si quod Epitaphium eidem Principi
nostro prope tumbam erectum est, totum-
que ejusdem curriculum vitæ complecti-
tur, in extremâ hâc Oratiunculâ repetitive-
rimus, ita sonans:

*Ante petet cursu Bojemica rura supino,
Unde in Saxonicos defluit Albis agros,
Incluta quam possit meritorum fama tuorum
Occidere in populis, Dux Friderice, tuis.
Aurea viderunt hæ gentes secula, regni
Dum tibi Saxonici sceptrâ tenere datum est.
Pace frui placidâ campiq; urbesq; solebant,
Horrenda extimuit classica nulla nurus.
Bella alii ferro, sed tu ratione gerebas,
Et sine vi victi sepe dederunt manus.
Ingenio claros meruisti sepe triumphos,
Militeq; haud ullo fixa trophaa tibi.
Et Pacis studiis florere ac artibus urbes
Contigit auspicio, Dux Friderice, tuo.
Fovisti spectas hæc tempestate Camenas,
Unicus es studiis premia digna dabis.*

Namq;

*Namq; tuo sumtu flavum schola condita ad Albim est,
Ut vitæ verum traderet illa modum.*

*Hic Evangelii primum doctrina renata
Deterſo cæpit pura nitere ſitu.*

*Induit hic veros vultus, iterumq; colorem
Accepit tandem Relligio ipſa ſuum.*

*Et cum germani ſumſiſſent arma tyranni,
Contra Evangelium ſanctaq; juffa DEI,*

*Doctores tibi cura pios defendere ſoli,
Et CHRISTI latè ſpargere dogma fuit.*

*His tibi pro meritis gratâ præconia voce
Poſteritas omnis Virq; Puerq; canent.*

*Nulla tuas unqvam Virtutes neſciet atas,
Non juſ in laudes mors habet atra tuas.*

Quod reſtat, voto eſt abſolvendum. Per
tuam te, ô Æternum Numen, qui non
DEUS eſ diſſenſionis, ſed pacis, miſericor-
diam precibus imploramus calidiſſimis, re-
ſpicias ad nos, tandemq; affulgere facias
Tranquillitatis illum Solem Patriæ noſtræ
Germaniæ, quæ ipſi jam viginti ſex, & quod
excurrit, anni ſunt, cum creperis hiſcè
bellorum miſerrimè turbat. Excita quæ-
ſo, ô bone Jova, excita, generiq; humano,
cujus tutela atque ſecuritas illorum ſaluti
commiſſa eſt, incolumes florentesq; præſta
Duces

Namq;

QX
Duces ac Principes, qui sicut Fridericus
noster omnibus aliis rebus pacem habeant
potiorem, fortunesque illorum conatus,
uthac suâ cura veræ religionis cultus in
Ecclesiâ, litterarum scientia in Scholis, Ju-
stitia in politiis, tranquillitas demum in
omnibus provinciis atque regionibus, ubi
Christianum nomen degit, quasi postlimi-
nio reversa esse videantur. Annue ò DEUS!
Vobis verò, Rector Magnifice, cæterique
Viri atque Auditores, multis mihi nomi-
nibus observandi, quia summâ cum beni-
gnitate me auscultastis, id gratias ago sin-
gulares, nec non si quid erit opus, officiis
meis pro virili inservire sum eroque prom-
tissimus atque paratissimus. DIXI.

F I N I S

QX 70/1687

icus
eant
tus,
in.
Ju-
in.
ubi
mi-
US!
que
mi-
eni-
fin-
ciis
m-

ULB Halle

3

004 780 086





